ingentes animos angusto uersat in pectore. Viribus inbecilles, sed for
tis ingenio. Haec explorata temporum uice, cum canitiem pruinosa
hiberna posuerint, et glaciali senio uerni temporis moderata deterse
rint. Statim prodeundi ad laborem cura succedit. dispersaeque per agros
libratis paululum pennis cruribus suspensis insidunt. parte ore legere
flosculos onerati uictualibus suis ad castra remeant. Ibique aliae inaesti
mabili arte cellolas tenaci glutino instruunt. Aliae liquentia mella
stipant. aliae uertunt flores in ceram. aliae ore natos fingunt. aliae col
lectis e foliis nectar includunt. O uere beata et mirabilis apis, cuius nec
sexum masculi uiolant. foetos non quassant. nec filii destruunt castitatem.
Sicut sancta concepit uirgo maria. uirgo peperit. et uirgo permansit.
O uere beata nox. quae expoliauit aegyptios. ditauit hebreos. Nox in
qua terrenis caelestia humanis diuinis iunguntur. Oramus te domine
ut cereus iste in honorem nominis tui consecratus. ad noctis huius ca
liginem destruendam. Indeficiens perseueret. In odorem suauitatis
acceptus. supernis luminaribus misceatur. flammas eius lucifer
matutinus inueniat. ille inquam lucifer qui nescit occasum. ille
qui regressus ab inferis. humano generi serenus inluxit. Precamur
ergo te domine. ut nos famulos tuos. omnem clerum et deuotissimum po
pulum. una cum patre nostro beatissimo uiro papa nostro ill. nec non et
clementissimo imperatore nostro ill. coniugeque eius ac filiis cunctoque
exercitu francorum. quiete temporum concessa. In his paschalibus
festis conseruare digneris. per dominum nostrum ihesum christum filium tuum qui tecum
uiuit et regnat deus in unitate spiritus sancti per omnia saecula saeculorum.

EX AUTHENTICO LIBRO SACRAMENTORUM SANCTI GRE
GORII PAPAE URBIS ROMAE. INCIPIT ORATIO
AD CATECUMINUM FACIENDUM

Omnipotens sempiterne deus respicere dignare super hunc famulum tuum
quem ad rudimenta fidei uocare dignatus es omnem caecitatem